



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

69. Enumerantur aliqui casus in quibus laborantes ignorantia non sunt admonendi, si spes correctionis absit, Sed in promptu omnes confessarii habeant casus contentos in textu hujus resolutionis, quia ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. LIX.

Enumerantur aliqui casus, in quibus laborantes ignorantia non sunt admonendi, si spes correctionis absit.

Set in promptu omnes Confessarii habeant casus contentos in textu huius Resolutionis quia saepe occurrunt in facto. Ex p. 7. tr. 3. Res. 19.

§. 1. **S**i sciam, ait Coninch *disp. 28. de Charitate dub. 4. num. 45.* alios propter cognitionem aut affinitatem inualidè contraxisse, idque eos iniuincibiliter ignorare, si sperem eos facillè inducendos, vt impetrent dispensationem, & sine turbis rursus contrahant, teneor ipsis veritatem aperire; si verò probabiliter metuum ne graues turbationes sequantur (vt si alteruter cum graui alterius, aut amicorum perturbatione, & prolium damno credatur facturus diuortium) teneor tacere si credam rem mansuetam omnino occultam.

2. Idem dicendum in quibusdam peccatis commissis ex ignorantia iuris, non ita passim noti, & quod non potest nosci, pertinere ad hunc in particulari, v. g. confitetur aliquis se cognouisse consanguineam uxoris suae, hic secundum communem sententiam non potest petere debitum; confessarius tamen (nisi possit fore cum eo dispensare; vt licet debitum peccati) communiter melius faciet relinquendo illum in sua bona fide, qua putat sibi licere petere debitum; quia si aperiat illi veritatem, postea formaliter peccabit petendo debitum; & communiter non est verosimile futurum, vt idè abstineat à petendo debito: quam diu autem manet in bona fide solum peccat materialiter sine villo periculo scandali. Quòd si confessarius possit dispensare: aut certè credat alterum cognita veritate ante obtentam dispensationem non petiturum debitum, deberet illi aperire veritatem.

3. Idem videtur dicendum de eo, qui iam desponsasset sibi aliquam, cuius consanguineam occultè cognouisset, penitus ignorans id esse impedimentum dimens; & iam instantes nuptiae non possent sine graui scandalo differri; posset enim confessarius eum relinquere in bona fide qua hic crederet illud nullum praestare impedimentum his nuptiis. Colligitur ex *Valentia hic quaest. 10. punct. 2. §. Certum est, & sequentibus.* Vbi absolute docet, non esse monendos peccantes ex iniuincibili ignorantia iuris, quando non speratur emendatio: atqui in dicto casu, vel nulla, vel vix vlla est spes emendationis; vix enim credibile est talem posse induci, vt cum tanta sua nota, & criminis suspicione, & graui suorum omnium offensione à nuptiis abstineat, aut eas differat, maxime si diu differri deberent quod communiter contingit, si prius dispensatio petenda sit. His adde, etsi nuptiae crederentur differendae, aut omnino impediendae; si tamen id non posset fieri sine graui multorum offensione & suspicione causae, ob quam differantur, videri potius tacendam veritatem ob grauiam incommodam, quae possunt aliàs sequi, v. g. odia grauiam, turbationes familiarum, &c. quae magis vitanda sunt, quam illa peccata materialia. Vnde *Valentia supra §. Propter cuius,* putat raro accidere, vt qui ex iniuincibili ignorantia contraxerunt inualidè sint monendi. Eadem autem est ratio in casu istorum sponso- rum, vt cum aliis expressè docet *Sanchez lib. 2. de Matrimonio disp. 38. num. 6. additque n. 7. confessorium in eo casu non solum posse, sed etiam teneri tacere.*

4. Excipe casum, quo Confessarius facillè posset iniquitate occultè dispensationem, vt sponsi possent

inter se contrahere, aut vt ij qui ob occultum impedimentum inualidè contraxerunt, possent iterum secedere contrahere; & omnino crederet se id sine turbis posse efficere. Est tamen hac in re satis magna difficultas, quando impedimentum est ortum ex crimine cuius altera pars omnino ignara est. Et haec omnia docet *Coninch*, cui adde *Trullench in Decalogum tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 1. n. 6.* qui apponit ex *Bonacina* exempla de eo qui contractum vlturarium inuit iniuincibiliter nesciens esse vlturarium, aut qui inualidè confessus est, aut qui iniuste possidet primogenituram, & etiam subdit ex dicto *Bonacina*, quòd poterit Confessarius cognoscere poenitentem laborare ignorantia iniuincibili, ita vt non teneatur illum admonere, si bono modo curet intelligere, an poenitens credat, se in bono statu constitutum esse, vel an dubiam habeat conscientiam. Sit tamen cautus confessarius, ne dubium malae fidei ingerat poenitenti, dum non sperat fructum correptionis, sed de hoc *infra dub. sequent.* Vide etiam *Reginaldum tom. 1. lib. 4. c. 25. n. 354.*

RESOL. LXX.

An teneamur corripere infideles?

Et verum infideles ad corrigendos alios sine fideles sine infideles obligentur? Ex part. 7. tractat. 3. Res. 20.

§. 1. **V**idetur negatiuè respondendum, quia *Christus Matth. 18.* solum iubet nos corripere fratrem peccantem: atqui infidelis non est noster frater, quia nec est filius Dei, nec Ecclesiae. Et ita hanc sententiam docet *Layman in Theol. mor. lib. 2. tr. 3. c. 7. n. 2.* sed omnino dicendum est nos teneri etiam tales corripere, quando est spes fructus, ac reliquae conditiones adsunt, vt hoc praecipuum obliget: nam etiam in his militat eadem ratio, quia nimirum charitas Dei, & proximi nos obligat, vt quantum commode possumus, Dei iniuriam, & proximi graue malum auertamus; quod per eiusmodi correctionem fit: nam per eam impedimus peccata infidelis, quae sunt vera iniuria Dei, & graue illius malum, & ipse est etiam noster proximus per charitatem diligendus. Et potest etiam dici aliquo modo noster frater ratione communis naturae, & originis ex Adamo. Et ita hanc sententiam tenent communiter Doctores teste *Coninch, disp. 18. de Charitate, dub. 4. n. 49.* & *Filiucio tom. 2. tract. 27. c. 5. dub. 120.* *Francisco del Castillo in 3. sentent. tom. 2. disp. 6. de correct. q. 5. n. 7.* *Valentia tom. 3. disp. 3. q. 10. punct. 3.* licet videatur discrepare *Bañez in 2. 2. quaest. 33. artic. 2. dub. 1.* tamen re vera nobiscum sentit: Sic enim ait *Cæterum circa infideles excusamur à correctione fraternali; quia quiauis illi sint proximi, non tamen dicuntur fratres in sacris litteris, eò quòd non conueniunt nobiscum in religione, & cultu caelestis Patris. Hoc patet ex illo Apostoli 1. Ad Corinth. 7. Si quis frater uxorem habet infidelem, &c. Item quia ordo correctionis fraternalis quae in Euangelio describitur *Matth. 18.* non loquitur de infidelibus, quoniam inquit, *dic Ecclesia, quòd si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.* Veruntamen maxime excusamur: quia nulla nobis est spes correctionis infidelium, & quia conuersari cum illis non est tutum, sed potius scandali occasionem huiusmodi conuersatio pareret. Si quis autem existimat se potentem illos corrigere non solum ab infidelitate, sed etiam si maneant infideles, & corrigantur à vitis contra legem naturae, teneatur praecipuo Charitatis illos corrigere. Ipse tamen Pontifex summus tenetur ex officio iure diuino prouidere de Praedicatoribus ad infideles mittendis, vbi*